



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis

Reiffenstuel, Anaklet

Monachii, 1699

Quæstio I. Quid sit Jus patronatûs, & quomodo acquiratur?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40206

DISTINCTIO III.

De Jure patronatus.

QUÆSTIO I.

Quid sit Jus patronatus, & quomodo acquiratur?

1. CONCL. I. *Jus patronatus*, quantum ad propositum, est jus ^{Jus patro-} nominandi, seu præsentandi Clericum idoneum, pro- ^{natus, quid?} movendum ad Beneficium Ecclesiasticum vacans. Ita in re communis. Dicitur primò, *jus nominandi, seu præsentandi*: nam ista duo hic fermè sumuntur pro eodem, quamvis cæterò quin nominatio latius pateat, quàm præsentatio. Et additur, *ad Beneficium Ecclesiasticum vacans*: tum ad magis explicandam naturam illius Juris patronatus, de quo agitur in proposito (nam Jus patronatus nonnullas alias in Jure acceptiones habet) tum quia, sicut institutio, ita & præsentatio ad Beneficium non vacans, irrita est, *arg. c. Illud. de Jure patronatus*. Reliquæ particulæ parebunt ex dicendis.

2. CONCL. II. Tribus potissimum modis acquiritur Jus ^{Tribus pot-} patronatus respectu Beneficij Ecclesiastici, nimirum ex funda- ^{tissimum} tione, ædificatione, & dotatione. Ita Glossa communiter re- ^{modis ac-} cepra in *c. Pie mentis. 16. q. 7.* & concordat Concilium Trident. ^{quiritur.} *Sess. 14. cap. 12. de Reform.* Unde versiculus ille à cit. Glossa re-
latus:

Patronum faciunt dos, ædificatio, fundus.

3. *Fundasse* dicitur, qui fundum, seu terræ solum dedit, in ^{Quis cen-} quo Ecclesia construeretur. ^{teatur Eccle-}

4. *Ædificasse* dicitur, qui Ecclesiam suis sumptibus constru- ^{fiam fan-} xit, *arg. c. Monasterium. 16. q. 7.* cum concordantijs ^{dasse,} Quòd si ^{Ædificasse,} Ecclesia solum reparetur, seu reficiatur, Jus patronatus non acqui- ^{ac} ritur, nisi ipsa fuerit penitus destructa. Si verò funditus destru-
cta fuit, & de consensu Episcopi aliquis eam reædificet, licèt for-
san de eadem materia, verius est, hunc acquirere Jus patronatus,
ac priorem dominum non amplius remanere Patronum; prout
tenet, ac probat Glossa in *c. Quoniam. §. Fundatores. de Jure patronat.*

Dotasse r

5. Tandem *Dotasse* dicitur, qui Ecclesie annuos redditus sufficientes assignavit. Porro qui Ecclesiam edificat, hoc ipso videtur etiam se obligare ad dotandum, si nemo alius dotet: siquidem Ecclesia sine dote consecrari non debet, c. *Nemo Ecclesiam. de consec. dist. 1. & c. Cum sicut. de Consecrat. Eccles.* junctâ Glosâ magna ibidem, dicente: *Qui fundat Ecclesiam, tenetur dotem assignare eidem: subintellige, nisi alius dotare velit.*

Acquiritur
Jus patro-
natus etiam
præscriptio-
ne?

6. Dicitur notanter in Conclusionem, *tribus potissimum modis.* Nam quamvis enumerati tres sint principales, nihilominus alijs quoque modis Jus patronatus acquiri potest; videlicet præscriptione, ac privilegio. Et quidem contra Ecclesiam ab initio liberam defacto non præscribitur Jus patronatus, nisi tempore immemoriali: quod ipsum tamen legitime probari debet, juxta præscriptum Concilij Trid. *Sess. 25. cap. 9. de Reform.* Verum contra Ecclesiam non liberam, sed patronatam, seu potius contra ejus Patronum, præscribitur Jus patronatus spatio quadraginta annorum. *Vallensis tit. de Jure patronat. §. 1. & alij.*

Ac privile-
gio, & quo-
modo?

7. Cæterum ex privilegio potest acquiri Jus patronatus, quando ejusmodi privilegium cuipiam de Ecclesia, vel Christiana Republica benè merito, à Summo Pontifice conceditur, etiam si Ecclesiam illam non fundaverit, neque extruxerit, neque dotaverit. At verò Episcopus loci, aliique Prælati Papæ inferiores, tale privilegium concedere non possunt, *text. clar. cap. 2. de Rebus Ecclesia non alien. in 6. juncto Concilio Trid. loc. cit.*

Legitimè
acquistum
transit ad
hæredes.

8. CONCL. III. Jus patronatus semel legitime acquisitum, transit etiam ad hæredes; nisi aliud ex prima Juris patronatus constitutione appareat. Ita communis. Notanter additur, *nisi aliud ex prima &c.* Siquidem in potestate Fundatoris est, an velit omnino remittere Jus patronatus, vel sibi tantum aut Familiae suæ, vel etiam hæredibus extraneis reservare. *Engel tit. de Jure patr. n. 15. & alij.*

Si succe-
dunt non in
capita, sed
in stirpes.

9. Notandum tamen, quòd successio hæredum in Jure patronatus non fiat *in capita, sed in stirpes.* Unde, si plures sint simul Patroni, atque ex ijs unus mortuus fuerit relictis tribus v. g. hæredibus, isti tres hæredes unum tantum votum in præsentando habent; adeoque vel debent conspirare in unius Clerici præsentationem, vel inter se antea convenire, ut alternis vicibus præsentent. *Clem. 2. de Jure patronat.*

Quest. 1. Quid sit Jus patronatus, & quomodo acquiratur? 717

10. CONCL. IV. Generatim quatuor modis ab uno in alium transfertur Jus patronatus, videlicet successione, donatione, permutatione, & venditione universitatis Ita communis. Hinc illi versus à Glossa in cap. Ex insinuatione. de Jure patr. relati:

*Jura Patronatus transire facit novus heres,
Res permutata, donatio, venditioque.*

Jus patronatus ab uno in alium transfertur 4. modis, nimirum

11. Et quidem (ut taceatur successio, de qua Concl. præ.) Jus patronatus transfertur ab uno in alium donatione, arg. c. Illud & c. Nullus. eod. Veruntamen in donatione Juris patronatus, si fiat de Laico in Laicum, necessariò debet intervenire consensus Episcopi, prout desumitur ex citatis locis: secus dicendum, si donatio Juris patronatus fiat per Laicum loco Ecclesiastico, cap. un. eod. in 6. Similiter non requiri consensus Episcopi, si unus Patronus alteri Compatrono jus suum cedat, donet, aut remittat, cum alijs tenet Barbosa part. 3. de officio & potestate Episcopi alleg. 71. num. arg. Clem. 2. de Jure patron.

Successione, Donatione

12. Permutatione quoque transfertur Jus patronatus ab uno ad alium, arg. c. Nemini regum. 16. q. 7. Cæterum, si talis permutatio fiat in Laicum, requiritur consensus Episcopi: secus, si fiat in Ecclesiam. Barbosa loc. cit. n. 31.

Permutatione.

13. Tandem transfertur Jus patronatus per venditionem universitatis, cui illud inseparabiliter adhæret; utputà per venditionem Castri, sive Comitatus, habentis annexum Jus patronatus, arg. c. Cum seculum. de Jure patron. & alibi.

Venditione universitatis.

14. Dicitur notanter, per venditionem universitatis; id est, omnium eorum honorum, ac jurium, quibus annexum est. Nam Jus patronatus, cum sit quid spirituale, aut spirituali annexum, per se vendi non potest absque labe Simonia, c. De jure. eod. ibi: Cum inconveniens sit vendi jus patronatus, quod est spirituali annexum: juncto c. Preterea. de Transact. Imò etiam bona ipsa non possunt carius vendi propter annexum Jus patronatus, idque ob allegatam rationem, & notat Barbosa ibidem n. 34.

Tamen id per se vendi nequit.

15. CONCL. V. Jus patronatus ex sola gratia, permissione, atque privilegio Ecclesie procedit: quatenus nimirum ex benignitate ejusdem per sacros Canones illud Fundatoribus, Aedificatoribus, & Dotatoribus Ecclesiarum, per modum cujusdam remunerationis concessum est. ut hac ratione Laici, aliique Fideles magis provocarentur ad fundandas, extruendas, dotandasque Ecclesias. Ita Fagnanus in c. Quoniam. num. 24. & seqq. de Jure patr. & alij communiter. Idipsum desumitur ex cit. c. Quoniam. ibi:

Jus patronatus procedit ex gratia, & privilegio Ecclesie.

Potestate (præsentandi,) in qua eos Ecclesia hucusque sustinuit: juncto c. Si quis Episcoporum. 16. q. 5. ibi: Aedificatori Episcopo hac gratia reservetur. Siquidem de Jure antiquiori Laici in Ecclesijs per eos ædificatis, vel dotatis, nullum habebant Jus patronatûs, sed statim Ecclesiæ ipsæ cum Sacerdotibus suis ad ordinationem pertinebant Episcoporum; prout liquet ex c. Noverint. 10. q. 1. & c. Pia mentis. 16. q. 7.

Hodie tamen non gratia censetur, sed jus.

16. Fatendum nihilominus, quòd quamvis! spectato Jure antiquo Jus patronatûs, ejûsque concessio fuerit gratiosa, ut dictum; hodie tamen, cum per Jura nova sit redactum in Corpus Juris, amplius non dicitur gratia, sed justitia, & jus commune. Fagnanus *loc. cit. num. 12.* Idque patet ex c. *Nobis. de Jure patron.* cum concordantijs, ubi constructori Ecclesiæ, vel Capellæ, Jus patronatûs expressè tribuitur.

Ejus etiam Laici, ac foeminae, sunt capaces.

17. CONCL. VI. Non tantum Clerici, sed etiam Laici, tam masculi, quam foeminae, sunt capaces Juris patronatûs. Ita communis. Et quidem de Laicis habetur expressus textus. c. *Cum autem. de Jure patr.* ibi: *Si laicus fuerit, cui jus competit presentandi, & alibi.* De foeminis pariter fit mentio c. *Ex litteris. eod. ibi: Postmodum Abbatissa prædicti Monasterij aliam presentavit eidem ad Ecclesiam supra scriptam. Et cap. ult. de Concess. Præbend.* dicitur de quadam Comitissa, quòd in quibusdam Beneficijs Ecclesiarum jus habet patronatûs.

Solvitur objectio.

18. Dices. Laici sunt incapaces juris spiritualis, arg. c. *Decernimus. de Iudicijs, & clarius c. Tua. de Decimis.* ibi: *Cum laicis nulla sit de spiritualibus concedendi, vel disponendi facultas, juncto c. Causam. de Præscript.* Atqui Jus patronatûs est quid spirituale, vel saltem spirituali annexum; ergo ejusdem Laicus est incapax, ac præsertim foemina. Resp. cum Glossa c. *Quantò. de Iudicijs,* majorem esse veram loquendo de juribus merè spiritualibus: secùs de ijs, quæ non sunt quid merè spirituale, sed duntaxat ei annexum; prout Laici possunt possidere jus funerandi. In proposito autem Jus patronatûs non est quid merè ac propriè spirituale, sed *spirituali annexum*, ut loquitur textus c. *De jure. de Jure patron.* ibi: *Jus patronatûs, quod est spirituali annexum.* Accedit, quòd hoc jus competat Laicis ex speciali concessione, ac privilegio Ecclesiæ.

QUÆ-